



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 18. SS. Episcopi persecutionem patiuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX.
A.C. 815. Itaque secundum ejusdem Concilia-
buli Decretum omnes Ecclesiarum pictu-
ræ calce illitæ delentur, stentibus ple-
rumque illis servulis, quibus invisum o-
pus imperatum erat. Confringuntur
Vasa Sacra, ornamenta minutatim con-
scinduntur, cæduntur securibus effigies
in ligneis tabulis depictæ & in foro pu-
blico concremantur. Aliæ imagines ad-
hibito luto & unctioibus fœtentibus
corrumpuntur, in odium odorum, qui
antea in earum honorem incendebantur.
Profani homines res Sacras impune con-
tingebant, quas ipsis aspicere non erat
licitum. Ex eo tempore persecutio in
Catholicos præsertim Clericos & Mona-
chos recrudit.

§. XVIII.

*SS. Episcopi persecutionem pa-
tiuntur.*

Combef. to. 2
Auct. p. 1038
Conc. sept.
act. 1. Inter Episcopos, qui in hac persecutio-
ne pressi sunt, fama celeberrimos red-
didit Michaellem Synnadensem, & Theo-
phylactum Nicomediensem, Discipulos
Tarasii Patriarchæ, qui eos e Monaste-
riis evocatos Metropolitæ ordinaverat.
Michael inter Metropolitæ Concilio U-
niversali septimo interfuit, missusque in
Occidentem ab imperatore Michaelle
Sup. Lib.
XLV. §. 23. eadem protectione Epistolam Synodicam
Nice-

Nicephori Patriarchæ ad Leonem III. Sæculum IX.
 Papam detulerat. Cum igitur Michael A. C. 815.
 & Theophylactus præfente Imperatore
 Leone Armeno Iconoclastis constantis-*Mart. Rom.*
 sine resisterent, ambo in exilium migra-*Bol. to. 16. p.*
 re coguntur, Michael in Insulam Eudo-*257. Mart.*
 cialem, & tum in alia loca, cujus me-*R. 7. Mart.*
 moriam Ecclesia vigesima tertia Maji ce-*Boll. to 6. p.*
 lebrat, Theophylactus autem in Arcem *787. Boll. II.*
 Stroblyli in Caria, ubi adhucdum annis *Mart. to. 7.*
 triginta vitam produxit. Inter Sanctos *p. 73.*
 colitur octava die Martii seu septima sub
 nomine Theophili.

S. Euthymius Metropolita Sardenfis
 quoque juvenis Institutum Monasticum
 amplexus fuerat, isque inter præcipuos
 Episcopos Concilium Nicenum secun-
 dum, in quo sæpius de eo recurrit men-
 tio, celebravit. Irene & Constantinus
 in legationibus & aliis Reipublicæ ne-
 gotiis ipsius opera usi sunt. Eundem
 Imperator Nicephorus in Insulam Pata-
 ream in Occidente positam relegavit,
 quod puellæ velamen Monasticum dedis-
 set. Ab exilio revocatus illis se junxit,
 qui cultum Imaginum coram Leone Ar-
 menio forti pectore defendebant; hinc
 ab eo in *Ason* missus est in exilium. At
 necdum ipsius laborum finis. Item S. Æ-
 milianus Cyzicenus Exulum numero ad-
 ditus est, postquam pro eadem causa *Mart. Rom.*
 multa tulisset. Ecclesia ipsius memo- *Et Menol. 8.*
 riam *Aug. Boll.*
to. 9. p. 668.

Sæculum IX.
A. C. 815.

riam honorat octava die Augusti. Georgius Episcopus Mitylenensis in Insula Lesbos Metropoli, natus parentibus nobilitate & opulentia conspicuis vitam Monasticam olim amplexus, quem præcipue eleemosynarum largitio commendabat, Sede sua a Leone Armeno pulsus est ob cultum Imaginum, & Chersonam proscriptus, ubi vitam posuit. Is septima die Aprilis ab Ecclesia honoratur.

§. XIX.

SS. Abbates persecutionem patientes.

vit. Theod.
t. 81.

II. ep. 8.

Inter Abbates, quos Iconoclastæ persecuti sunt, in primis S. Theodorus Studita, S. Nicetas Medicionensis, S. Theophanes Singrianensis, S. Macarius Pelicitanus, S. Joannes Catharensis claruerunt. Leo Imperator Theodorum Studitam Imaginum cultum libere propugnans non ferens, eum in Arcem Metopensem prope Apolloniam relegavit; unde S. Abbas, quamvis esset inclusus, Catholicos tamen erudire & confirmare datis litteris non cessabat. Harum litterarum magnum habemus numerum & præter alias Epistolam dogmaticam, in qua Quæstionem de Imaginibus amplissime tractat, eadem argumenta & eandem Auctoritatem adhibens, quibus olim